









1673.

1. Beckmann, Joh. Volk: De lubrico aetatis.
- 2^o = Beckman, Joh. Volk: De poma et jure ebraeorum.
2 exempl. 1673 & 1737.
- 3^o = ^o Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod justum est circa
adoptionem minoris haereditis. 2 exempl. 1673 & 1749.
4. Beckmann, Joh. Volk: Ubi fides non servanda.
5. Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod circa dies
justum est.
6. Beierus, Adrianus: De arcanis partium.
7. Falckner, Johann Christoph: De antiquo et moderno
adoptionum jure et statu.
8. Falckner, Johann Christoph: De re integra.
9. Falckner, Joh. Christophorus: De chirographo
prosecutione vero eo, quod per vim extortum esse
dicitur. et l. 2 P. de his, quae vim metuue causa
gesta sunt.

1673.

10. Falckner, Johann Christoph: *Lura convictorum*

11. Linck, Henricus: *De exoneratione conscientiae*

12^{a et 2} Linck, Henricus: *De subsidio palensis*

2 Exempt. 1673 et 1709.

13. Linck, Henricus: *De anatocismo occasione*

128 p. de usuris illustrato.

14^{a et 2} Linck, Henricus: *Lura finium* 2 Exempt.


1673 et 1693.

15^a Linck, Henricus: *De usu testamentorum morali,*

civilis, canonico et feudali.

16^{a et 2} Linck, Henricus: *De indicatione Romana*

Von Römisches Zinszahl. 2 Exempt. 1673 et 1744.



AUSPICE SUMMO NUMINE.
ET
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE
PERMITTENTE,

JURA FINIUM

Die

Grantz Rechte /

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo & Consultissimo,

D. N. HEINRICO Linck /

J. U. D. & P. P.

Præceptore suo omni honoris cultu
æternum devenerando,

in

Perillustri propter Salam Academia

publice Eruditorum Censura

submittit

Johannes Ernestus Hafe /

Neoburgico-Luneburg.

AUTOR.

In Auditorio Jctorum.

J E N Æ,
Literis Samuelis Adolphi Mulleri, Anno 1677.

79

TURRA FINLLIM



DR. HEINRICH O...

Preceptor...

...

Johannes...

...

...

42





PRÆFAMEN.



Tatim à primo rerum exordio, dum ex nihilo aeterna Sapiencia produxit omnia, cuilibet suos præfixit fines & terminos, quos ultra progredi non liceret. *Pf. 104. v. 9.* Soli poli; gremium si intueamur, non sine stupore in hoc tot millenorum millium, imò planè innumerabilium lucidorum corporum in vorticibus suis invariata distantiam admiramur: Imo intra certos annos, menses, dies etiam majora illa Lumina cursum suum absolvere, adèd ut ne latum, quod ajunt, ungvem extra Cyclos suos evagentur, ex Astronomorum traditis quis nescit? Matrem terram si despiciamus, intelligemus & ibi divina virtute in præsentem usq; diem quævis creata; intra acceptos limites constantissimè consistere. Paucis; In Numero Pondere & Mensura in vastissima hacce rerum capacitate. Summum Numen mortalibus omnia stetit, & in his suis finibus inclusa omnia felicissimè hædenus perdurarunt.

durarunt. Solus & unus homo pro insatiabili sua habendi cupidine intra fines suos & terminos, quos cœlestis Benignitas ex mera gratia ipsi tribuerat, cum pace ut acquiesceret, à se planè impetrare non potuit. Nec id malum privatos solum eminentiori potestati subiecto, invasit, sed ipsos etiam mundi Dominos & Principes, adeo ut quotiescunque illos cæca cupiditas ultra limites à supremo Principe præstitutos rapiebat, maximum plerumque inciderint discrimen, quemadmodum Veterum fastos evolventi non potest non esse notissimum. De Persis annotat *Polyb. l. 1.* Quod magna ipsorum fuerit quibusdam temporibus potentia, sed quoties transgredi Asiæ terminos ausi fuere, non in Principatus solum, sed etiam in proprii capitis periculum inciderint; Quod ipsum inter cæteros funestissimò suò exemplò Cyrus, Scythas vexaturus, sed à *Tomyrice* Regina miserè truncatus, comprobavit. Vid. *Justin. Lib. 1.* Inter privatos rixas etiam cruentas totò die ex confinio oriri similiter illi qui in foro versantur habent compertissimum. *Oldendorp. Class. 3. Act. 14. n. 8.* Sed hisce malis, ut remedium quærent, solliciti admodum fuere *L. Ltores*, quod inter alia *ex l. 5. ff. d. Op. r. Publ. l. 3. ff. eod. l. 2. § l. fin. C. d. Fund. Limitroph. &c.* tum etiam *ex Titulis ff. Fin. regund.*
§ d.

Et d. Termino mor. ubi materia finium multis
juribus circumscripta & determinata est, liquet.
De hac ipsa verò finium materia eorumve juri-
bus pauca Tibi, *Optime Lector!* pro velitatio-
ne publica in sequentibus capitibus sistam. Fa-
teor minus decenter & congrue minus omnia
inibi deprehendes; *De* Tua nihilominus huma-
nitate & in judicando dexteritate non despero,
inprimis cum nimia temporis angustia exclusus
omnia limatius & politius tractare nequiverim,
quod si feceris, O. L. quantum Tibi debeam, fa-
cile intelligo. Sit autem, *Auspice Deo.*

CAPIT. I.

DE

ORIGINE FINIUM ET
DOMINII.

Th. I.

IN Originem finium ut eò feliciter inquiram, operæ pre-
cium duco, ad primævum mortalium statum aliquantò
diligentius ut respiciam, quò primo homini per Divinam
confirmationem univèrsùm hoc, in quo vivimus, colla-
tum esse edocemus. Hinc & merito Dominiorum origi-
nem ad mundi primordia referimus ac gratuitam benignis-
simi Numinis concessionem causam introductæ proprie-
tatis constitutum. Ita enim nos sacræ literæ instruit.
Gen. 1. vers. 28. Homini condito à Conditore in res inferio-
res attributum esse dominium, hac expressâ formulâ: *Cresci-
te & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam*

A 3

vobis

vobis, & Dominamini piscibus maris & volatilibus Cæli
& universis animalibus, quæ moventur super terram,
Hocque Dominium postea orbi per diluvium repurgato
Gen. 9. vers. 1. ita confirmatum fuit: *Timor vester ac-
tremor sit super cuncta animalia terræ, supra omnes volu-
cres cæli cum universis, quæ moventur super terram.* Unde
videmus Dominium, quod ante Creatori soli in sua creata
competierat, ex indulgentissima ipsius libertate per Ada-
mum hominibus ad imaginem Dei creatis communicatum
esse, ita tamen, ut se illò DEUS non abdicaret, sed retine-
ret superius quoddam & eminentius, à quo illud hominum
dependeat. Vid. Hennig, ad Grot. *L. 2. de Jur. B. & P.*
c. 2. §. 2.

Th. II. Ex his omnibus verò patet, quantum tri-
buendum sit illorum sententiæ, qui jure naturali Dominia
cepisse dicunt. Quod si enim de jure naturali præceptivo
intelligant, vix cogitant quid loquantur. Nam quod
potestatem sapit, omnino à jure hoc modo considerato dif-
fert. Omne namque jus est regula quædam actionum
humandarum & objectū juris naturæ sunt actiones honestæ
vel turpes: Dominium verò neque turpitudinem neque
bonitatem moralem continet, imò ne actio quidem est,
quare nec objectum juris naturalis constituit; Quamob-
rem si in Romani juris Corpore legamus, naturali jure do-
minia constituta esse, hoc non aliter quam de permissione
hoc sensu accipere debemus, quod lex naturæ non repugnet
Dominii per gratuitam benignissimi Numinis Divinis cle-
mentiam concessis.

Th. III. Neque melioris est notæ sententiæ eorum,
qui incunabula Dominiorum jura Gentium assignant, dum
asserunt, quod jure naturali omnia communia fuerint, &
jure Gentium demum sint introductæ dominiorum distin-
ctiones, cui sententiæ non solum jus nostrum Civile cum
multis

multis aliis subscribit, adeo ut Dn. Hahn, *ad Wesenbec. de acquir. rer. domin. n. 1.* tradat, Dominiorum distinctionem J. G. introductam esse, non quod per se bona & pulchra esset, sed quod conditione & statu hominis tunc exigente necessaria fuerit ad dissensiones vitandas; Sed & multi Moralistiæ accedunt. Quare Grot. *de Mar. lib. cap. 5.* quem sequitur Selden. *in Mar. Claus. lib. 1. c. 4.* & Barthol. Medina *ad Thom. L. 2. artic. 1.* opinantur, præsuppositâ communione res creatas in proprietatem abisse pactò quodam aut expresso, ut per divisionem aut tacitò, ut per occupationem, ita quidem, ut simul ac displicuerit communio, nec divisio instituta sit, censeri debeat, inter omnes convenisse, ut quod quisque occupasset, id proprium haberet, & hanc sententiam certò quoque approbat modò Pufendorff. *l. 4. de Jur. Natur. & G. c. 4. §. 4.* ubi concessionem DEI pro causâ immediata dominii non agnoscit, sed potius factum aliquod humanum & pactum vel tacitum vel expressum præsupponit.

Th. IV. Verùm quamvis concedamus, quod occupatio non nisi rei per naturam vacuæ detur, & quod in divino Codice indefinitè legamus; hominibus in res & terram dominium permissum esse, ita ut ad exercitium dominii actualis apprehensio requiratur, id tamen dissentientium sententiæ neutiquam subvenit, quia hoc, quod originem dominiorum ad concessionem divinam referimus, intelligi debet, non tam de dominio actu concessò, quam de jure & facultate ad dominium acquirendum competente. Deus namque dedit hominibus potestatem, per occupationem se quarumlibet rerum efficiendi dominos, non autem tribuit dominium in actu absque prævio acquirendi modo. Neque enim quicquam ab homine sine labore acquiri voluit Conditor, qui panem in sudore faciei parandum præcepit. Quare verius existimamus, nullam unquam communionem,

quam

quam Grotius præsupponit, extitisse, adeoque nec homines opus habuisse ejusmodi pacto divisorio sive expresso sive tacito, prout evincunt textus *Gen. 1. & Gen. 10. Jam dum citati*. Ex quibus elucescit, præter utendi fructu facultatem quotidianam, etiam rerum creaturarum dominium Adamo & per ipsum toti generi humano in prima creatione concessum fuisse.

Th. V. Hinc & Dn. Ziegler ad *Grot. d. 1.* asseruit, quod vi hujus donationis divinæ Adamus Dominus totius orbis terrarum factus sit, ita quidem, ut non solum à rebus universis alios excluderet, sed & nemo alius, si quis adfuisset, jus occupandi res nondum ab Adamo possessas, & possidendi habere potuisset, adeo ut nec liberi quidem Adami, quamdiu in familia Patris constituti fuerunt, hoc modo exclusi quicquam de dominio eo participarint, nisi quatenus donatione, assignatione aut quacunque concessione, jure velut peculii, ut Romano more cum Illustri Dn. Strauch, *in dissertat. de Imper. Mar. c. 1. sh. 9.* loquamur, aliquid ad ipsos ex liberalitate paterna pervenerit. Hoc ipsum tamen rejicit Henniges *c. 7.* qui Adamo plus, quam occupavit, non attribuit, ita ut res sine occupatione in sua libertate permanerint ab omni dominio vacuæ. Quare dubitat, an unquam Adamo in mentem venerit, ut totum orbem possidere vellet, quem, quantus fuerit, ignoravit. Hinc & neminem Adamo injuriam fecisse asserit, si ea, quæ ab ipso tantum nostro primo parente libertati suæ relicta sunt, occupasset.

Th. VI. Verum quamvis Henniges, concedamus, quod illa ad dominium acquirendum potentialis facultas hominibus indistinctè competierit, ut se potuerint dominos constituere rei à dominio actuali vacuæ, quam ubi semel sibi propriam fecere, non licuit deinde possessori eripere, qui

qui sibi occupatione prælationem moralem dudum quæ-
riverat, quam in rem clarissime faciunt verba *Gen. 1. v. 28.*
signate posita: Subjicite vobis terram &c. quæ sanc argu-
unt, terram dominio nondum subjectam, aptam tamen &
habilem ea promissione factam, ut subjici hominibus pos-
set, sicut etiam concludit Horn, *de Civit. l. 2. c. 2. th. 3.* Ta-
men non aliter, nisi mediante Adamo hominibus illa po-
tentialis data facultas, & ab ipso postmodum ad liberos suos
translata est. Divina namque sapientia humano generi
per primum hunc hominem jus illud voluit concessum.
Non quidem negari potest, quod tum temporis universum
genus humanum in hoc uno Adamo fuerit exhibitum,
isque non pro se tantum, sed pro posteritate etiam huma-
na beneficia illa acceperit, eo tamen nequaquam ob-
stante, hoc jus, in ejus persona consistens, ad posteros non
nisi per modum translationis derivandum fuit. Videatur
Boecler *ad Grot. Lib. 2. c. 2.* Gebhard. Theodor. Meyer, *in*
Analyf. Polit. Aristot. ad Cap. 3. Lib. 2. th. 53. Et hæc do-
minii ratio uti Adamo ante diluvium concessa, ita in No-
acho post diluvium renovata est. Non minus enim eo
tempore DEUS in Noachum jus in res universi hujus con-
tulit; Quare non solum posteritati humanæ autor exstitit,
ut urbes conderet novas atque juxta divinum mandatam
se in mundo multiplicaret, sed etiam totum orbem tribus
suis filiis quasi hæreditatis jure divisum reliquit. Egregia
planè sunt in hanc rem verba Eusebii *in Chron. Et dividit*
(Noachus) velut heres mundi à Deo constitutus tribus filiis
suis universum mundum sub sortem missum, & unamquam-
que partem juxta sortem singulis distribuit.

Th. VII. Commodissime hæc omnia explicat Dn.
Struv, *in Syntagm. Feudal. c. 1. §. 1. n. 6.* ubi inter alia hæc
habet: *Neg. verò omnino illis consentire possumus; qui nudo*

B

ac li-

ac libero consensui aut pacto hominum ac populorum rerum
divisionem adscribit, inter quos est Barthol. Medina in
Thom. 1. 2. Artic. 1. docens, Jus Gentium & rerum diviso-
nem consensu populorum vel expresso vel tacito, non ex in-
stinctu naturæ esse. Et Hugo Grot. similiter statuens quod
res in proprietatem ierint pacto quodam, aut expresso ut
per divisionem, aut tacito, ut per occupationem, L. 2. de
jur. Bell. & Pac. c. 2. n. 2. Quibus gemina tradit Selden.
Lib. de Domin. Mar. c. 4. & de Jur. Nat. Gent. & Civ. sec.
discipl. Ebraeor. Lib. 6. c. 4. in fin. Concedimus quidem, quod
animus res tenendi ut proprias expressus fuerit per factum
occupationis ac in sequentem particularem rei ad proprium
usum, curam & culturam: verum pactum aliquod ut hinc
inducatur, & ad illud, tanquam fundamentum, rerum di-
visionem referamus, non videtur opus, neq; etiam rei veri-
tati congruere: cum ipsa occupatio concessa sit jure in res
à DEO concessa, cujus juris vi res sunt occupata, cuilibet oc-
cupanti, commodè in societate civili degendi propositum ha-
benti, ipsa ratione naturali commodius occupandi genus,
exposito modo, præscribente, &c. Nec juvant contrariam
partem verba Justiniani Lib. 43. c. 1. Erant omnia communia &
indivisa omnibus, velut unum cunctis Patrimonium esset:
Tantum enim abest, ut exinde probetur, unquam extitisse
rerum communionem, vel jure naturæ eam præscriptam fu-
isse, quin potius hoc saltem ostendunt, quod in principio
omnia hominum occupationi patuerint. Videatur omni-
nò Illustris noster Strauch, in Dissert. singular. de imper.
Maris, c. 1. th. 1. Adde etiam verba ipsius Justiniani Lib. 1. sub
init. ibi: Finis imperii tueri magis quam proferre mos erat
intra suum cuiq; patriam regna finiebantur. Solidè hæc
iterum explicat Dn. Struv. d. l. n. 1. in verbis: Primum
rerum statum si consideres, erant; uti dicit Justinus. Hi-
stor.

flor. L. 43. c. 1. omnia communia & indivisa omnibus, vel
uti unum cunctis patrimonium esset: non quidem, quod un-
quam communio fuerit, vel esse debuerit, sed quod actu ne-
mo universas res, quarum proprietates homini universim tri-
buta, occupaverit, omnium tamen occupationi illa, unum
quasi cunctis patrimonium essent, pariterint. Ex quibus li-
quet, quo sensu verum sit, à principio communionem suis-
se, scilicet non aliò, quam quod quilibet legitimam habu-
erit facultatem, per occupationem res sibi appropriandi.

Th. IIX. His itaque sine omni ulteriori dubitatione
hoc modo se habentibus, non erit difficile finium originem
derivare; scilicet referenda erit ad prima principia conditi
generis humani, l. 1. ff. de Acquir. Rer. Domin. & productio-
nem omnium rerum, quæ cum nata omnino censenda est,
secus ac illi sentiunt, qui præsupponentes rerum commu-
nionem, eam temporibus postdiluvianis transcribunt, quos
interest etiam Johann Oetting. Tr. de jur. limit. L. 1. c. 3. n.
45. & seqq. Si enim, ceu ex dictis liquet, DEUS statim à
mundo condito atque post diluvium reparato, jus in res
creatas ad victum & amictum necessarias ac utiles, terrarum
ejusque fructus & omnes bestias humano generi attribuit,
sequitur etiam, quod necessaria, interque ea fines, ab hac
concessione dependeant. Et sic nobiscum conveniunt Jo-
seph. f. ἀρχιολογ. 3. Eustath. Antioch. Hexæm. p. 46. Sel-
den. mar. claus. L. 1. c. 4. qui Caino agrorum determinatio-
nes, nec male, attribunt; imprimis quia testimoniò sacro
destituti non sunt, Gen. 4. v. 15. 16. 17. Quod ipsum quam-
vis obtortò collò concedere cogantur Adversarii, regerunt
tamen: Hic non tam ea inspicienda esse, quæ antè, quàm
quæ post diluvium facta sunt; Quasi verò DEUS in ter-
minis ponendis post diluvium mentem suam mutaverit.
Et quis est, qui non videat, semet ipsos convincere, hoc
B 2 qui

qui concedunt; Etenim si ponatur, quod Cain primus terminos distinxerit, simul ponendum erit, quod etiam ante tempus diluvii, & quidem statim post tempora primorum nostrorum parentum, existerit rerum proprietas, exclusâ omni communione, quod tamen contra mentem partis adverte est. Vid. Grot. *L. 2. c. 2. n. 2.*

Th. IX. Diodor. Sicul. *L. 1.* Herodot. *in Euterp.* Agyptiis primam finium determinationem transcribunt; Sed vana est hæc sententia. Alii apud quasdam gentes citius, tardius apud alias limitandi morem crevisse existimant, idque ut probent, ad Americæ barbaricæ & incultos Seyrtarum mores provocant. De quibus Justin. *L. 2.* ita *Hominibus inter se nulli fines neque etiam agrum exercent, nec domus illis ulla, aut rectum aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis.* Ex his quidem Adversarii negationem dominii privati concludunt; Sed falsum hoc est: Hactenus enim nullo idoneo Scriptore apud Barbaros non obtinere dominium, demonstratum est. Non quidem diffitemur, quod major apud illos in usu sit rerum communitas, quam apud nos est, non tamen exinde probaveris, omnem penitus penes illos exulare dominium, neque enim ullum scelus apud eos furto gravius est, testante eod. Justin. *L. 2.* Vid. Osiandr. *in Annotat. ad Grot. L. 2. c. 2. th. 2. p. 653. & seqq.*

Th. X. Ex his itaque pronò fluit alveò, causam efficientem finium esse Deum, qui in prima creatione terminos terræ constituit. Hinc Hiob. *c. 38. vers. 4. s. 6.* dicitur: Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ. Quis posuit mensuram ejus? Quis tetendit super eam lineam; Aut quis demisit lapidem angularem ejus. B. Luther. ita reddidit: *Wo warst du / da ich die Erde gegründet; Weisset du / wer ihr das Maß gesetzt hat; Oder wer über sie eine Richtschnur*

schnur gezogen. & Psalmista *Psal. 47. v. 17.* Tu fecisti omnes terminos terræ: Du segest einem jeden Lande seine Gränze. Singula quoque Imperia supremum Dominum inclusisse suis finibus, Apostolus Athenienses docet *Act. c. 17. v. 26.* Is etiam Israelitis, Terra Canaan quomodo terminari debeat accuratissime indicat. *Num. 94. v. 2. 3. 4. & seqq.* Hoc modo tamen neutiquam excludimus homines, terminos aliàs pro varietate locorum constituentes, quin potius, ut illos pro causâ terminorum subordinata vel proxima recognoscamus, omni videtur carere dubio.

Th. XI. Causâ impulsiva finium ponendorum est tam Pacis publicæ, quam tranquillitatis inter privatos conservatio. Plurimum enim interest, ut certi constituantur fines certisque limitibus confines fundi disterminentur ad pacem servandam, tollendas ve rixas & arma inter vicinos, vel potius inter confines, sapienda. Vid. *Wissenb. ad Tit. fin. reg. Wessenb. ad Tit. fin. reg.* Sicuti enim Deus ab initio omnia sapienter ordinavit, *Psal. 104. vers. 14.* Ita singulari providentia in *evangelia* conservari vult omnia *Syr. c. 16. vers. 27.* Denn **GOTT** ist nicht ein **Gott** des Unordens / sondern ein **GOTT** des Friedens. *1. Cor. 14. vers. 34.* Quam cruenta bella ex MEO & TUO inter Reges, Principes & Respubl. jam à pluribus seculis orta sint, & quarum etiam adhuc hodiè discrimina & dissidia ex his propululent, universus loquitur Orbis. Finales & agrariæ quæstiones periculoso motu perpetuo vexabant *Ren. pl. Romi. Liv. 6. c. 11. & L. 2. c. 41.* De cruentis Aricinarum & Ardeatium cædibus, propter agrum controversum, vid. eundem *L. 3. c. 71.* Perpetuas Flandrorum cum Francis de finibus lites notat *Dn. Conring. de Finib. Imper. Germ. li. c. 4.*

Et hinc est, quod Deus pro paterna sua, quam gerit pro miseris mortalibus, cura cuilibet Regno, Provincia & Populo Angelos tanquam providentiae suae ministros adjungat, qui fines ejus & concordiam tutarentur. Nec enim terret nos opinio eorum, qui plane Tutelares ejusmodi angelos dari negant, cum id omnipotentiae divinae non contrarietur & satis manifestum sit *ex cap. 10. Dan. vers. 20.* nec non ex gestis Bileami Vatis cum Balak, Rege, ad excantandum Tutelaris patrocinium adversus Hebraeos missi. *Num. 22. v. 5.* Consentit Belsold. *Synops. Polit. Praecogn. num. 26.* Calmann. *in Angelograph. p. 1. c. 7.* Thom. Campanell. *Lib. de Monarch. Hispan. c. 3.* Vid. etiam Dn. Kipping. *in Instit. Polit. l. 1. cap. 3. num. 9.* Sed haec obiter. Nos ad alia prope-ramus.

CAP. II.

DE

DEFINITIONE NOMINALI ac REALI FINIUM EO- RUMQUE DIVISIONE.

Th. I.

A finiendo fines dici, rectissime perhibent Philologi, si-
ne omni dubio, quia fines certos agros & fundos nobis
assignatos intra certos finium terminos finiunt, quemad-
modum a terminando dicitur terminus.

Th. II. Sed non uno modo accipitur vox Finium, vel
enim sumitur in *significatu* latiori ac *metaphorico*, & tunc
denotat omne id, quod quovis modo rei terminum impo-
nit. Sic Apost. *Rom. 6.* dicit: *Mortem esse finem operum im-
pudicitiae & injustitiae.* Et Cic. *in Verr.* Finem facere libi-
dini

dini & imprudentiæ. Idem in Offic. Finem & modum
transeunt appetitus. Ita rectè etiam dicimus: *Finem imponere laboris, Curis, bello.* Hinc & Sententiam, quæ principalem controversiam concernit eamque terminat, vel toti causæ finem imponit, definitivam appellamus, *ein Endurtheil* / ad differentiam ejus sententiæ, quæ fertur super emergentibus & inter principium & finem causæ incidentibus quaestionibus, quæ interlocutoria dicitur *ein Beyurtheil* / Hahn, *d. Process. judiciar. th. 29. & 51.* Fibig, *in Process. Part. Gen. cap. 1. Membr. 3. §. 13.* Deinde sumitur *in strictiori & quidem sensu metaphysico* pro causâ finali, sive câ, cujus gratia aliquid est vel fit. B. Sthal, *in Discurs. ad Tabul. Metaphys. X.* Hoc modo sumpta vox finis quomodo iterum distingvatur, Vid. laudat. Sthal, *d. l.* Denique capitur *in sensu Physico*, prout est extremum alicujus rei; Et hic iterum vel angustiori significato notat cujusvis rei corporalis extremitatem, vel angustiori saltem agrorum limites indigitat, ubi iterum vel generaliter fines tam publicos quam privatos significat, vel etiam privatos tantum. Ita sumitur pro publicis Imperii limitibus Domino Conringio in ratiõis doctrinæ tractatu, quem *de Finibus Imperii Germanici* inscripsit. Sic Cic. *Pro Dejos. Fines tueri ab excursionibus,* & *in Topic. de finibus controversia est*, dixit. Ita etiam pro privatis apud Terent. *in Heaut.* capiuntur: Vicini nostri ambigunt de finibus; Quò sensu occurrit *in l. 12. ff. fin. reg. §. 6. J. de Offic. Judic. l. 18. §. pen. ff. de acquir. vel amit. possess. l. 10. §. 1. ff. d. Usu & Habir.* Hinc derivatum, Confinium, dicitur ille locus, ubi fines diversorum Dominorum concurrunt, & Confine, quod mutuo se contingit, quemadmodum Numidiam Mauritaniam confinem rectè dicimus. Nobis in præsentî nihil negotii erit cum duabus prioribus finium significationibus, nec illam tantum,

tantum, quæ fines privati solummodo significantur, considerabimus; Sed arripet latior illa, quæ tam publicos quam privatos ambitu suo comprehendit, quam pro instituti ratione & temporis brevitate contemplabimur.

Th. III. Cæterum hi, de quibus instituta est quæstio, fines aliàs appellari solent Terminum in *ff. de Term. mot.* uade sacra Terminalia ex instituto Numæ Pompilii, quibus venerabantur Ethnici DEUM Terminum, in cuius Tutela fines esse putabunt. De quibus Dionys. Halicarnas. in *Antiquit.* Horat. *Epod. 2.* Add. Willenb. *ad ff. D. 32. th. 8* Weltenb. *ad Tit. ff. Fin. Reg. n. 2.* & ad hunc Dn. Hahn. Latè Oeting. *Tract. de jur. Limit. L. 1. c. 2. lit. 9.* Per Metonym. Signi pro signat. fines etiam dicuntur Lapidés finales in *S. 6. J. de Offic. Jud.* Idem Limina. Nam limina sicut in domino finem quendam faciunt, sic & Imperii finem esse limen Veteres voluerunt; Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus, ut est in *S. 5. J. Quib. mod. Parr. Poteest. solv.* Determinationis veteris monumenta. Nec non Limites. Zoel. *ad Tit. de Term. mot.* Lapidés Terminales. Oeting. *de Tr. l. 1. c. 2.* Nostro idiomate fines, prout sunt præsentis considerationis, dicuntur *Marck-Steine. Landr. L. 2. Artic. 28.* *Marck-scheidung / Untermarcken /* & integri districtus *Feldt-Marckung / Unter-Marcken /* Terminales, *Marck-Bäume.* Carpozov. *Prax. Crim. p. 2. qu. 83. num. 6.* *Marck-Steine. Landr. L. 2. c. 28.* à voce *Marck /* quod Germanis signum denotat. *Bansteine /* à voce *Ban /* quæ extremitatem notat. Vox enim *Bannen* significat finibus suis excludere, unde Italicorum *Banniti* i. e. Proscripti. *Gail. 1. de Pac. Publ. 1.* Vel à *Bahn /* quod semitam notat, *Wehn. Observat. Pract. in voce Gränge.* Petr. Heig. *p. 2. q. 2. n. 57.*

Th. IV. Jam quid fines sint, breviter dispiciendum, Hieron. de Monte in *Tract. singular. de Finib. regund. c. 8.*

17. dicit, quod terminus sit signum finis ejusq; demonstrativum. Paulò aliter eum describit Calvin. in *Lexic. voc. Terminus*. nimirum, quod sit signum, quod agrum ab agro i. e. limites agrorum finesque possessionis dividit. Illustris Strauchius, paucis quidem sed magis nervosis verbis, Terminum vocat id, quod discernit quod intra est, ab eo, quod extra *Dissert. de Cent. Lapidib. Urbic. §. ult. n. 4. Octing. cis. lib. 6. cap.* hunc in modum fines describit: *Es sind die Grängen öffentliche Zeichen und sichtbare Gemerke / dadurch die Landschaften und liegende Güter erkenntlich und ordentlich von einander unterschieden werden.* Alii aliter. Nos ita tentabimus: *Fines seu termini sunt signa vel indicia à natura ipsa vel arte ad Regna, Provincias & fundos privatos pro certa mensura determinandos constituta, ad tranquillitatem inter mortales conservandam; Supervacaneum esse putamus, singula hujus descriptionis membra discutere, cum ea partim ex antecedentibus nota esse, partim ex adhuc dicendis patefcere queant, quapropter ad divisionem finium pergitur.*

Th. V. Triplici modò distinguntur fines (1.) Ratione *causæ efficientis* dispescuntur in tales, qui ab ipsius naturæ benignitate producti sunt, quales sunt Juga Montium, Valles, Aggeres, Sylvæ, Flumina, Paludes, item die Håger: arbores, quas Germanicè die Lochen und Loebäume vocare solemus. *Octing. d. l. c. 3. n. 10. & ibi allegat. Agg. Urbic. Comm. in Jul. Frontin. de Jur. Limit.* (2.) Ratione *Objecti* comòde in fines publicos & privatos dividantur; Illi quidem ad Principatus, Ducatus, Comitatus, Marchionatus aliasq; Ditiones & territoria distingvenda constituti sunt, & hi propriè Gränge dicuntur à Corona, vò einer Cron oder Krangk / ut existimat prælaudat. *Octing. d. l. c. 3. n. 2.* weil durch selbige die Güter gerings umbher gleichsam mit einer Cron oder Krangk

C

Kranz umgeben und eingefangen sind. Præterea publici fines appellitantur etiam Land-Steine / Land-Grängen / Land-Wehr / die Frontiren / quod pertinent die Jagt-Grängen / Jagt-und Forst-Steine / Lapidis Decimarum, die Zehent-Steine / fines Præfecturarum Ambt-Grängen. Privatorum autem fines sunt, qui vel pagos à se invicem discernunt & dicuntur die Mark-Steine / vel agros vicinos à privatis vicinis sejungunt die Güter-Steine / Schied-Steine. Wehn, *Pract. Observ. in Voce Grängen* / ubi etiam mentionem facit lapidum, mixtam naturam habentium, ita ut ab utraque quidem parte habeant singula eines Land-Steins / in aliis vero requisitis omnibus pro lapidibus Decimarum conserantur, quales semetipsum vidisse scribit *d. l.* Vide etiam Oetting. *l. 1. c. 17. n. 2. (3)* Ratione formæ non incommode distingvi posse videntur fines in perpetuos & temporarios; Illos dicimus, qui injuriæ temporum aut malitiæ hominum obnoxii non sunt, ut sunt montes flumina &c. Hos, qui evelli, abduci aut alio modo corrumpi possunt.

CAPUT III.

DE

MODIS CONSTITUENDI FINES ET CONSTITUTOS CON- SERVANDI.

Th. I.

Superiori capite notatæ sunt præcipuæ finium divisiones, inter quas principalis illa est, quæ fines in publicos scindit & privatos, sub hac enim reliquæ contineri videntur; Utrique qua ratione tam arte quam natura constituantur, hoc capite agendum erit.

Th. II. Et quidem publici fines Imperiorum, Regnorum,

rüm, Principatum &c. qui naturæ ipsius provisione con-
tingunt, prius considerandi sunt. Optimè autem terminan-
tur illi. (1.) Montium summitate, quæ obscura esse non pot-
est, cum omnium oculis sit exposita. Ea vero plerumque
montium summitas pro termino solet constitui, quæ suâ al-
titudine reliquas supereminet, & in qua aqua pluvialis solet
facere divergium, ita ut si mons sit declivis, utrinque de-
fluat. Da das Wasser von Regen sich von einander scheidet/
und der Trauff auf die eine und andere Seite fället/ und also
beiderseits abwärts zu lauffen pflaget. Cicero hoc aquarum
divortium vocat *Epist. 10. L. 2.* Montibus affines sunt (2.)
de vici clivi, qui si pro termino seu fine sint, Rigores solemus
appellari, Nos Hügel und Büchel vocamus, quorum tamen
altitudo triginta pedes superare non debet, alias enim jam
mons est, ut Placcus & Hyginus volunt; Infra hanc sum-
mitatem autem si sint, dicuntur Eine Kein/ qui ita descri-
bitur: Ein Kein ist ein abhaltiger langer Ort/ der sich allge-
mäh von ebenen Boden über sich erhebet/ doch daß er in
auffsteigen höher nicht als 30. Schube/ aber wol daruntten sey.
Oeting. d. l. c. 18. n. 3. 4. Contingit quoque (3.) ut & pro fi-
nibus habeantur vallissimæ rupes & petreæ, imprimis illæ
si fuerint notatæ. Idem (4.) Saxa majora in dubio præsu-
muntur confinia esse, præsertim si testes indicent, observa-
tia & consuetudine possessionem ad dicta saxa esse distin-
ctam. Bald. *Cons. 422. num. 1. vers. Pone ergo Lib. 1. & Con-
sult. 459. Lib. 3.* item (5.) per arbores finales Termini constituuntur,
quod frequentissimè imprimis in sylvis observatur, tunc
plerumque cruce aliqua insigniuntur, quæ in medio perfo-
ratur, unde Löcher oder Loch-Bäume appellantur; de qui-
observandum, quod si propriæ alicujus sint, & in unius con-
finis Domini territorio existant, quod saltem à patre exte-
riori

rioni vel foras, si verò communes sint, ab utraque parte signandæ sint, quia inter confines dominos divisæ censentur. Pro terminandis territoriis etiam (6.) Flumina assumuntur; ita quidem, ut flumen vel uni Dominorum totum, vel pro dimidia parte, quod ein gespalten Wasser vocant, tribuatur. Oeting. c. 7. Ita beneficio naturæ Terminii & fines publici solent constitui,

Th. III. Non autem putandum est, ac si natura id per se absque ulla accedente humana cura præstiterit, sed quod per Gentium intervenientia pacta hæc naturæ opera fines esse placuerit. Mynsing. *Cens. 6. Obs. 25. n. 3.* Ita Cæsar Augustus fines posuit Imperio Romano, quos natura ipsa quasi constituit; Ab Oriente Euphratem, à Meridie Nili cataractas & Desertum Africæ ac montem Atlandem, ab Occidente Oceanum, à Septentrione Rhenum & Danubium. Vid. Lips. *L. 1. d. Magnit. Romæ Flor. L. 3. c. 11.* Quibus apponere lubet antiquissimos Rithmos, quos ex Rudolph. *Embs* in *Teutonic. Paraphrasi. Ver. Test. ante 500. annos conscriptos* citat sæpe laudatus Oeting, *L. 1. cap. 3. in fin.*

**Des Landes Marcke Beschit ar/
In dem Gebürg an Caucalas,
die ander sonder Marcke was/
das Nothe Meer das gahet sein Strich/
Und scheidet in der Marcke sich.**

Cæterum quibus finibus & limitibus singula Regna & Provincias natura circumscripserit, vide apud Cluver. Ricciol. in *Geograph. Reformat.* Mercator in *Atlant.* & plures alios, & de Imperii nostri Germanici accuratissimum caput, quod est in *Lib. 1. de Finib. Imperii* Dn. Conringii *quarsum.* De Alpibus quibus Italia à Germania nostra, & Pyrenæis, quibus Hispania à Gallia sejungitur, vide eodemo

Th. IV.

Th. IV. Arte vel industria humana constituuntur fines Publici, quando per lapides certâ figurâ & formâ ad id præparatos, vel etiam columnas, terræ in confinio infixas, indigitantur; Vel per crucem lapideam seu ligneam, cui manus & gladius imponi consuevit, Jurisdictionalium termini ostenduntur. Hodie solent Principes ejusmodi lapidibus terminalibus insignia sua insculpere. Insignia enim Principis, Domini vel Civitatis in Curia, mœnibus aliisque locis, puta *An den Thoren/ Thüren/ Uhren/ Kirchen/ Tabern, Gräng/ Steinen &c.* depicta vel insculpta Jurisdictionem probant. Bartol. *de insign. & Arm.* n. 2. Wesenb. *ad C. ut nem. privat. titulos prædiis suis* & Consil. 21. n. 68. Si forte trium Dominorum Territoria concurrant, tres singulares ponendos esse lapides asserunt. Commodiori via utuntur illi, qui lapidem triangularem eo casu adhibent, ita regendum, ut quilibet angulus singulorum fines indicet. Quod ipsum etiam non displicet Oeting *d. l. c. 17. n. 22.* Et sic quidem hi fines constituuntur, postquam utriusque domini prævio consensu, certi ad hunc actum Commissarii, quibus Pictores etiam adjungi solent, dati sunt, de quibus videri potest Rulandus *in Tract. de Commissar. P. II. Lib. 6. p. 107.* Huc pertinet stupendum Chinesium opus, quo muro ad 300. milliaria Germanic. longo à Tartaria separati sunt. Cluver. *Introd. ad Georg. L. V. c. 6.* A Scotorum incuris quibus ut tuti essent in majori Britannia Romani, Hadrianus muro cœspitio, Severus lateritio majorem & minorem Britanniam divisit. Christian. Matth. *in Theatr. Histor. theoret. Practic. in Septim. Severo. c. 2.*

Th. V. Positis hunc in modum lapidibus finalibus, Instrumenta desuper confici solent, in quibus fines accuratè describendi sunt, quæ Instrumenta, *Bezirkbrieffe*/nominare solent. *Beföld. Theaur. Pract. Verb. Bezirkbrieff.* Digna sunt

ut re-

ut referantur, quæ Generos. Dn. à Seckendorff / im Teuto-
schen Fürsten Stadt / hanc in rem optime annotavit, *pars.*
II. c. 7. p. m. 40. Wenn es zum Vergleich kömpt / werden die
die dazu Geordnere fleißig unterrichtet / wie sie eigentlich
handeln sollen / insonderheit daß die Grängen des Landes und
davon anhängige Hoheit auff's deutlichste gezogen / von an-
derna particular Merckung / dadurch etwa bloßer Gerichts-
Zwang / Zoll / Triff / Jagt oder Eigenthum bedeutet wird /
wol unterschieden / auch mit warhafften Stücken / als bestän-
digen fundbahren Flüssen / Bergen / Keinen / Steinen / und
nicht mit vergänglichem Gräben / Bäumen / und dergleichen
abgezeichnet / und über dem alle deutliche Verträge und
Vergleiche auffgerichtet / etc.

Th. VI. Quod attinet fines privatos, constituuntur &
illi iterum à natura ipsa, cooperante tamen curâ humanâ.
Quoad formam externam videntur illi fere idem esse cum
publicis nisi quod signa notabiliora esse debeant, quando
Territoria & Jurisdictiones, vel alia loca publica terminan-
tur, dicente Paulo de Castro *in l. s. num. 24. ff. de Justit. &*
Jur. Quapropter non adeo quoad hanc constitutionem de
iis hic erimus solliciti, quia potius nunciat constitutionem,
quæ arte & secundum leges suscipitur, progrediamur.

Th. VII. Sic Flacc. *lib. d. Condit. agror.* varios ritus &
superstitiones commemorat, Ethnicis in ponendis Termi-
nis usitatas, ubi inter alia, quæ ibi adferre, notandum, quod
in eum locum, in quem figendi erant termini, sacrificiò
factò, fruges & thura jactaverint, favos quoque & vinum
aliaque, quibus consuetudo erat Terminis sacra fieri, in
fossa adjecerint, consumtisque lapidis igne, super calentes
reliquias Lapidem collocaverint, Ratione ejus, quod calenti-
bus reliquiis h. c. Carbonibus, lapides superpoluerint, putat
Augustin. *XXI. d. Civit. D. c. 4.* esse admirandam firmi-
tem

tem carbonum, quæ licet levi ictu frangi queant, nullò ta-
men humore corrumpantur, & nullâ ætate vincantur. Vid.
etiam Oeting. *l. c. 17. n. 9. 10. & seqq.* Sed curiosius in hunc
Veterum limitandi modum inquirere, fortasse parùm pro-
derit.

Th. VIII. Quomodo autem secundum morem hodie-
rum fines agrorum sint ponendi, certum quid determinari
vix poterit, cum ille, pro cuiuslibet fere loci consuetudine
& singulari de iis statuto, variare soleat. Probè proinde in
limitandis agris respiciendum ad loci consuetudines. Com-
muniter ita solet fieri (1.) Ut termini ponantur autoritate Ma-
gistratus, vel etiam Commissariorum interventu. (2.) Ut Vi-
cini, qui ex altera parte fundos possident, ad huic actum
convocentur, *juxta l. 2. & 3. Fin. Reg.* Ita Jus Saxon. in
Weichbild. *Artic. 120. Wer Mahlbäume und Marksteine
setzet/soll die dabey haben/ die auf der ander Seite Land haben.*
Putant quidem, si altera pars, ne hujusmodi quæstio termi-
netur, dolosè se subtraxerit, *juxta l. 3. C. Fin. Reg.* nihilomi-
nus fines determinari posse; Sed consultius videtur esse,
quod tùm demum secundum *l. cit.* officium suum faciat
iudex, si alter emanens semel atque iterum sub poena certa
citatus non comparuerit. Rationem vidi, apud *Coler. de Pro-
cess. Executiv. part. 3. c. 9. n. 118.* (3.) Debet finium deter-
minatio utriusque Patris sumptibus fieri, Oldendorp. *Class.
3. Act. 14. Fin. Reg.* (4.) Testes etiam cives vel rustici it. die
Untergänger / adhibendi sunt.

Th. IX. (5.) Accuratè quoque provideri debet, ne fina-
les lades mensuræ fundi includantur, sed utrique parti in-
divisi relinquantur. Inde etiam est, quod fructus in arbore
finali vel etiam in medio confinantium nati sint communes
quò sine dubio respexit Jus Saxon, quando de lupulo prope
confinium plantato ita statuit: *Sliche sich der Hopffe umb
einem*

einen Zaun/ wer die Burgel in dem Hoffe hat/ der greiffe über den Zaun/ so er allernechst möge / und ziehe den Hovffen/ was ihm folget das ist seyn/ was an der andern Seite bleibet/ das ist seinem Nachbawen/ Landr. l. 2. Artic. 52. (6.) Limitatoribus sedulo cavendum, ne ita constituentur limites, ut omnium conspectui pareant, sed, docente etiam id quotidiana observantia, magis secretè & terram subtrus ponant, ne hominum malitiæ detur occasio eos evellendi. Ruland. de Commiss. P. 2. lib. 6. c. 3. n. 26. 27. Super hæc omnia iidem instrumenta conficiuntur, quæ postquam à Deputatis & Arbitris sunt subscripta adpositisque sigillis confirmata, utrique parti aliquod exemplar, in rei gestæ testimonium, in originali, ceu vocant, extraditur.

Th. X. Sed an Subditi in scio Magistratu fines agrorum suorum possint distingvere? quæri solet, Dabium hoc alicui videri posset propterea, quia divisio alienatio dicitur & in vim contractæ emptionis obtinet. l. 1. C. de commun. utriusq. Jud. jam verò de jure Saxonico bonorum immobilium alienatio absque iudicis vel Magistratus consensu est prohibita. Artic. 3. Lib. 1. Landr. Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 10. n. 186. Verùm loquitur dictus Articulus, de alienatione voluntaria, non de necessària, cum regulariter à quavis dispositione illa excepta censeantur, quæ urgente necessitate fiunt. l. 22. vers. exceptis. C. mandat. l. ult. in fin. C. de Litigios. l. 13. ff. Fam. ercisc. Cum itaque & finium distinctio omnino sit res necessària, nihil ob stare puto, quò minus hoc liceat subditis, & ita respon. Scabini Lips. teste Carpoz. Jur. pr. forens. P. II. Const. 41. defn. 17. Mens. Mart. Anno 1622. Ob wohl die Unterthanen des Dorffs Grunberg/ ohne Vorbewußt Eur/ als des Erb- und Lehn-Herrens/ sich unterstanden/ neue Berechnungen zu machen/ und Reim-Steine zu legen/ da aber dennoch solches nur allein auf ihren Büchern geschehen/

geschehen / und Euch oder anderen dadurch an euren Heubern
mit Fortsetzung der Rein-Wege kein Schade oder Nachtheil
zugefüget worden zc. So möchten sie deswegen in eine Strafs-
se von Euch nicht genoinnen werden. B. R. W. Vide et-
iam Dn, Brunn, *ad ff. fin. regund. ad l. 2. n. 4.* Sed antequam
ad modos, quibus fines semel constituti conservantur, tran-
siliam; duo adhuc expendenda veniunt: Qua ratione scili-
cet insulæ in flumine natæ per certos limites vicinis prædiis
attribuendæ; Deinde an & quomodo in mari fines possint
constitui.

Th. XI. De Insularum in flumine nataram divisione le-
gitimè instituenda Jcti antiqui fuerunt quidem solliciti.
*vid. l. 7. §. 3. l. 29. l. 30. §. 2. l. 56. §. 1. 2. & seq. ff. de acquir.
Rer. domin.* Sed parum eam attenderunt sequioris ævi Ju-
risperiti, nisi quod Bartolus *in Tr. de Tyberiad.* aliquot fi-
guris eam voluerit proponere, sed quam infeliciter & quam
turpiter in fundamenta Geometrica impeerit, pluribus de-
monstravit Baptista Aimus *L. 3. d. Alluv. c. 10.* & Hieron.
Magius. *Lib. 4. Miscell. c. 2.* Postea Baldus etiam aliquid
tentare voluit, sed planè præter mentem & intentionem Ju-
ris Civilis, nec id mirum, quia Mathesis ipsis non adeo cu-
ræ fuit. Ex recensioribus autem præter alios, ex principiis
mathematicis, Magnif. Dn. Struv. felicissimè id demon-
strasse, deprehendere est *ex Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 41.
eb. 28.* Tribus modis ejusmodi Insulas in flumine nasci, do-
cet Pomponius *l. 30. §. 2. ff. de acquir. Rer. domin.* Liceat
ipissima ejus verba hic mea facere: (1) Cum agrum, qui al-
vei non fuit, amnis circumfluit. (2) Cum locum, qui alvei
esset, siccam relinquit & circumfluere cœpit. (3) Cum pau-
latim colluendo locum eminentem supra alveum fecit & eum
alluendo auxit. Modò priori causâ proprietatis non mutatur.
d. §. in fin. Duobus autem posterioribus, quod privata
D
Insula

Insula fiat ejus, cujus agro propior fuerit cum primùm extitit, de jure civili planum est. §. 22. *J. de Rer. divis.*

Th. XII. Sed si in medio fluminis sita sit Insula, quomodo & quâ via dirimenda sit, non adeo est obvium. Sequens modus laudatur: Nimirum per medium fluminis ducatur linea recta, quæ paarella sit utrique fluminis ripæ & hæc esto regula & norma infallibilis, juxta quam Insulæ fines constituendi sunt; Linea autem hæc si Insulam in duas æquales partes secuerit, tunc Insula in medio fluminis esse deprehenditur, quapropter si perpendiculares ab extremitatibus fundorum secundum cujusque latitudinem ducantur, tunc juxta illam mensuram ab utraque parte prædia possidentibus acquiritur Insula. Aut Insula ductam illam lineam planè non contingit, tunc facile apparet, quod tota illa uni parti sit proximior & tunc illis acquiratur, quorum prædiis propior est Insula pro modo latitudinis, quam lineæ ab extremitate fundorum perpendiculariter ductæ ostendunt. Aut denique linea per medium fluminis ducta partem saltem Insulæ inæqualem scindit, & tunc illa particula cedit iterum iis, pro modo latitudinis, qui juxta eam ripas habent proximas. Majorem lucem dictis sceneratur Schema illud, quod ad hanc rem declarandam exhibet. Oeting. *sapius cit. Tr. de jur. & Controv. limit. Lib. 2. c. 3.* Cæterum inter privatos rarum & ferme nullum videtur hic modus Insulas in flumine natas determinandi habere usum, quia illæ Fisco vel Principi ut plurimum cedunt. Gryph. *de Insul. c. 2. 12 13.* Meur. *de jure aquat. part. 1. n. 9.* Dn. Struv. *Syntagm. Juris Feudal. cap. 6. p. 188. & Syntagm. Jur. Civ. Exerc. XXI. th. 30.* Quamvis Oeting. *d. l. & c.* plerisque in locis jus civile quoad Insulas in flumine natas adhuc saluum esse tradat, hancque sententiam, quâ privatis Insulas vindicandas opinatur, rationi & æquitati magis consentaneam

neam esse existimat, Consuetudo loci hac in re totum negotium componit, ad quam merito respiciendum.

Th. XIII. Alterum erat: An in mari fines certi determinari & quomodo possint? An mare etiam sub imperio sit, seu an occupari possit, prolixè admodum à Viris doctissimis, ab Anglis & Batavis, & penna & gladio accerrimè fuit disputatum, nec à nobis propter temporis angustiam jam pluribus repeti potest; Affirmativa tamen hic pro hypothese sit. Sed an & quomodo in mari fines constitui debeant, videtur esse alicujus indaginis. Inter negantes est Hugo Grotius. *d. Mari liber.* Qui, *si hoc recipiretur*, inquit, *jam dudum nobis Geometra terram, & Astronomi etiam ealumen eripuissent*; Cui falsè respondet illustris noster Strauch. *Dissert. sing. de imperio Mar. c. 2, th. 6.* Cæterum pro statumina sua sententia asserit obstare liquiditatem maris, liquida autem terminari haud posse, nisi in re aliqua habeantur contenta, ut fortasse aqua in stagno vel lacu aliquo, & propter hanc rationem multò minus limites mari infigi possent. Sed respondetur ad illud, quod hoc casu, quò in mari fines constituendi sunt, non tam visibilis & realis aliqua finium determinatio, quam probabile aliquod spaciolum ad rationem saltem determinandum attendatur, intra quod jura sua Princeps vel populus exercere possit. Quod spaciolum beneficio Trigonometriæ ex gradibus cœlestibus latitudinis & longitudinis satis commode investigari potest. Selden. *l. 1. Mar. Claus. c. 22, Add. l. 21. §. 2. ff. Quod vi aut clam.* & Hieron. de Monte refert, quod termini in cœlo & aère positi sint tempore Alex. VI. Pontif. Rom. dum inter Lusitanos & Castellanos Insulæ Indicæ noviter repertæ per lineas graduum cœli dividendæ erant. *Tract. de Fin. reg. c. 7.*

Th. XIV. Quod attinet limites mari infigi non posse, ad id itidem respondetur, de terminis ad sensum positus concedendum

dendum esse, posse tamen poni ad rationem, ut certus mili-
tarium numerus definiatur, quem supergredi non liceat, ut
patet ex dictis. Quapropter inter pacis suæ articulos Crom-
wellus à Belgis pactus est, ut intra decimum ab Anglia mili-
liare abstinerent à piscatione. Becm. *Medit. Polit. Dissert.*
VI. th. 11. Nec desunt, qui statuunt, quod, qui jurisdic-
tionem habeat in districtu mari coherenti, ejus jurisdic-
tio se etiam extendat in mare usq; ad 100. milliaria, Paul Castrenf.
in l. Insule ff. de Jud. & l. de precario. ff. ad l. Rhod. de jact.
Capoll. d. S. R. P. Tit. d. mari. c. 12. 13. & seq. Hieron. de
Monte *d. c. n. 12.* Vid. etiam *cap. 39. n. 3.* Et quis asseruit de
essentia termini vel limitis esse, ut semper reale & materia-
tum quid sit, qualia sunt lapis, arbor &c. sufficit enim, si
certum, fixum, perpetuum & cognitum sit illud vel omni-
bus, vel quorum interest. Illustr. Strauch. *cit. dissert. cap.*
& th. Quinetiam mari terminos sensibiles & reales esse, quis
negaverit? cum id tot Scopuli, Brevia, Promontoria, Insu-
læ hinc inde sparæ abunde testentur. Per tonnas aquis in-
natantes, saxo affixas, die See-Tonnen/ limites in mari con-
stitui posse, notissimum est. Parum igitur attendendum,
quod Ambros. *Hexam. c. 10.* dicit: *Geometram audivimus,*
Thalassometram nunquam.

Th. XV. Restat in hoc capite, ut & quædam de finium
conservatione addamus. Summam curam adhibuisse Ro-
manos in conservandis finibus, inde colligitur, quod non
tantum terminos & lapides finales, sed etiam milites certos
pro iis custodiendis, quos inde limitaneos dixerunt. *l. 3. C.*
d. Offic. Militar. jud. l. 3. C. d. Eund. Limitroph. in finibus
suis collocarint. Nec minus ea de re fuit sollicitus Henric.
I. Imperat. vulgò Auiceps dictus, qui, ut fines Imperii ab
exterorum incursionibus tutos haberet, Marchias certas in-
stituit; Quemadmodum Danis Marchiam Slevicensem,
Henc-

Hencis Bräudenburgenſem. Cranz. *Vandal. l. 3. c. 6.* Poloniſſe
Sileſiis, Miſnenſem, Marchiam & Luſaticam, Hungaris Au-
ſtriacam oppoſuiſſe annales teſtantur. Horn. *O. J. Can. 1. n.*
4. p. 7. Chriſtian, Matth. in *Theatr. Hiſt. Theor. Pr. in Henr.*
Aucup. Magnif. Dn. Bechmann. *Comm. ad A. B. Exerc. XI.*
Add. Wehn. in *voc. Marek.* Unde hodiernos Marchiones
in Imperio originem ſuam dixiſſe, extra omne dubium eſt.
Hodie Principes fines ſuorum territoriorum intemeratos &
incorruptos ſequenti modo ſervare poſſe, tradit Generos.
Dn. à Seckenderff. In *Teutſchen Fürſten Stat. P. I. cap.*
7. p. m. 49. In dem ſie Jährlich durch die Beamppte die Grän-
zen bereiten und beziehen / auf der Benachbarten Thun und
Laſſen gute Achtung geben / und darüber allenthalben ſchrift-
liche Nachricht und Urkunden aufrichten laſſen / dawieder
niemand verſtattet / daß er ſeine Gottmäßigkeit über die
Grängen erſtrecke / Land un Leute daraus und zu ſeinem Ge-
horſam ziehe / oder ſonſten über die Gränge mit ſeiner Macht
rückte. His poſſunt addi interrogatoria, ad quæ Præfecti
in puncto finium cuſtoditorum examinandi juſtè responde-
re tenentur, quæ egregie certè apud Oeting. *l. 1. c. 20. num.*
9. formata ſunt. Et ne vel injuria temporis, vel aliò caſu, Ar-
bores ac lapides finium cauſa poſiti corrumpantur, & ſigna
incifa vel obliterentur, vel attritione evaneſcant, ſvadet ſæ-
pius laudat. Oeting. *d. c.* Daß die Löcher ſollen auffſ wenig-
ſte in 5. Jahren einmahl erneuert und wieder ausgehauen wer-
den / dann ſie ſonſten verwachſen / ſonderlich wann die Bäume
geſund und nicht alt ſeyn.

Th. XVI. Neque ſolum fines publici hoc modò conſer-
vantur, ſed & privatorum confinium termini. Quia enim
Reipublicæ intereſt, ut ad rixas & confuſiones avertendas
Magiſtratus terminorum ſedulam gerat curam, ideoque et-
jam circa terminos privatos conſervandos providus eſſe de-
bet. Ad conſervationem verò terminorum **I.** conducit,

D 3

ut li.



ut libri terminorum seu instrumenta & literæ quibus fines designantur, & cujuslibet termini tum publici, tum privati forma, locus & significatio hisce præter propter formalicus designantur: *Ein Gräng oder ander Stein &c. weisset mit der Eisen auff/ oder gegen &c.* probe & sedulo custodiantur 2. Non sufficit, terminos ita descriptos habere, sed & requiritur, ut à Magistratu, vel etiam à privatis quotannis aut pro loci consuetudine rarius termini visitentur & inspiciantur, an forsitan moti antiquitate corrupti vel malitia perditii fuerint. Germanici dici solet *die Flur umbziehen*. 3. Ad Terminorum conservationem conducit, ut si deperditi aut corrupti deprehendantur termini, novi secundum pristinam formam constituantur, aut antiqui reficiantur, inquisitione in violatores constituta, ut propterea puniantur. *Ruland, P. 2. de Commiss. L. 6. c. 11. n. 8.* Denum quia hominum memoria terminorum loca probe conservat, ideoque ad conservationem terminorum non solummodò conducit, ut adhibeantur jurati agrimensores, qui vulgò *Schieber / Feldmesser / Umbgänger / und Untergänger* dicuntur, & partes quarum interest, sed etiam ut in visitatione terminorum Magistratus inventum secum ducat, eam de terminis, certò quodam modò & latà pecunià (*mit Haar raussen und Geld geben*) informet.

Th. XVII. Hac occasione quoque illud notandum erit, quod lapidibus terminalibus ut plurimum ab agrimensoribus adjiciantur lapilli, ut sint loco testium. Sed an lapis absq; hisce lapillis sive testibus inventus pro terminali habendus & in pristinum locum reponendus sit? valde dubitatur; Agrimensores quidem, qui in sola appositione testium se fundant, hoc nefas esse arbitrantur, adeo ut exinde ejusmodi lapis pro terminali neutiquam habendus videatur; Quod si tamen vel per testes viros & rationales, vel per instru-

instrumenta de signatione aliquando facta & de lapide, quod finium causa positus sit, constet pro termino utique reputandus erit. Quamvis enim ab Agrimensoribus ductu artis agrimensoriae ordinariè lapidibus finalibus ejusmodi testes adjiciantur, de necessitate tamen non est. Quare si aliunde vel ex testium depositione vel etiam ex Instrumentis constet, lapidem hunc vel illum esse terminalem, quamvis deficient lapilli, quin pro tali habendus sit, propter hæcenus dicta nulli dubitamus.

CAP. IV.

DE

MODIS VINDICANDI FINES CIVILIB. ET CRIMINAL.

Th. I.

NON rarò contingit, ut vel nequitia intolerabili hominum fines legitimè positi evellantur, turbentur propellantur aut aliò nequitiori modò corumpantur, vel etiam infelici fatò, ut fluminis inundatione, temporum injurià confundantur. Utrumque quot casibus accidere plerumque solet, sedulò annotavit Oeting. *l. 2. cap. 1.* Add. Magnif. Dn. Struv. *Exerc. XIV. th. 50.* Quapropter ut rixis, quæ exinde postmodum uberrimè exsurgunt, succuratur illæque placidè componantur, LL. salutaribus remediis litigantibus noluerunt deesse; Illa sunt: Actio Fin. regund. *Conditio ex l. 4. C. fin. reg. & Actio de Term. mot.*

Th. II. Finium regundorum i. e. distingvendorum. *Wissenb. ad ff. Tit. fin. reg. th. 2.* Dn. Struv. *Exerc. XIV. th. 56.* actio est antiquissima & partim ex LL. XII. Tabul. partim

tim ex lege Manilia, cuius meminit *Cic. l. 1. de LL.* descendit. Welenbec. *adh. t. num. 2.* ibique Dn. Hahn, Per fines autem olim denotatum fuit spatium quinque pedum, quod olim inter agros liberum reliquit voluit L. Manilia ad circumducendum aratrum Wiffenb. *d. l.* De hoc spatio si incidebat controversia, quondam iudicio fin. regund. locus erat, si vero ultra quinque illos pedes, de fundi proprietate agendum erat, ut ex Jul. Frontin. prælaudat. Dn. Struv. *d. Exerc. th. 57.* tradit. Vid. Constitut. Constantini quæ *lib. 2. Cod. Theodos. exstat. Tit. fin. regund.*

Th. III. Ut autem hoc melius intelligatur, observandum erit, fines secundum LL. 12. Tab. ita distinctos fuisse, ut in confinio interstitium seu spatium quinque pedum secundum latitudinem constitueretur, ut ex *Cic. Lib. 1. d. LL.* constat. Hoc spatium (1.) non poterat ulucapi, & (2.) si de hoc erat controversia, finium regundorum actio locum habebat; Verum postea Imperatores Valent. Theodos. & Arcad. hac de re promulgarunt sequentem constitutionem: *Quinq. pedum præscriptione submorâ iurgii finalis libera peragatur intentio &c.* Circa hanc constitutionem acres sunt natæ controversiæ: An loquatur de præscriptione, an vero loquatur de extensione actionis finium regundorum ut etiam de ipsis agris confusis competat. Prius nonnulli affirmant, quasi in hac lege cautum sit, quod actio finium regundorum nunquã possit præscribi, vel quod spatium hoc quinque pedale præscriptioni exemptum sit, uti cum Wiffenb. *ad ff. tit. fin. reg.* statuit Schotan, *in Exam. Jurid. ad tit. ff. fin. reg.*

Th. IV. Verum quã ratione hæc salvari possit sententia non videmus, quare probabilius illi procedunt, qui afferunt, quod *in d. l. pen.* vocabulum *Præscriptionis* sumatur pro *exceptione*, ita ut sensus sit: *Non licet amplius confinio opponere exceptionem, quod tñ non sit de confinio in quinque pedum*

pedum spatio consistente, eoque modo excludere actionem. *fin. Reg.* sed libere absq. distinctione finalis iurgii & locorum ultra quinq. pedes h. e. quantumcunque fuerit spatium, de quo inter confines lis est, agi potest. Præ cæteris commodissime hæc explicavit Dn. Struv. *Exerc. XV. th. 57.* ubi per præscriptionem simplicissime intelligit, præscriptionem, seu determinationem spatii quinq. pedum, quod scilicet ista sit sublata, & quis liberè etiam de ulteriori spatio actione *fin. reg.* agere queat. Et hæc interpretatio non solum nativæ vocis indoli convenit, sed etiam ex C. Theodol. illustratur. Planè alienam explicationem proponit Dn. Brunn. *in Comm. ad d. l. pen. in verbis: Olim hoc, iudicium de re modica. i. e. quinq. pedibus non dabatur, id hac lege aboletur, quia iudicium est ordinarium, quod de re modica etiam dari solet. Est enim hic sensus receptissimus, traditus hic à Gl. Bald. Sa. lyc. Castr. & alijs, quam vis non habeamus vestigium pro termino quinq. pedum non licuisse iurgium movere finale.* Verùm quamvis sit veneranda hujus summi Viri autoritas, an autem & in hoc casu ipsius explicationi accedere queamus, propter probabiliorem Dn. Struvii explicationem valde dubitamus. Vid. Zoef. & Franzk. *in Comm. ad ff. Tit. fin. regund.* ubi varias offendimus conciliationes.

Th. V. Est autem actio finium reg. quæ datur inter eos, qui confines habent agros, ut fines ritè discernantur & declarantur, atq; id quod interest, alterius fines confusos non esse, præstetur. Dn. Struv. *d. th. 40.* Oritur partim ex jure in re, partim ex jure ad rem, ideoque mixtam esse facile perspicitur. Ex jure in re quidem provenit. 1. Quia dicitur pro vindicatione esse, *l. 1. fin. reg. junct. l. 1. C. eod. & §. 20. l. de Act.* 2. Petitur hic suum restitui, *l. 8. d. 1. princ.* 3. Quia ex dominio æstimatur vel jure in re, *l. 4. §. 9. eod. tit.* Ex jure autem ad rem. 1. Quia in personam datur, *l. 1. l. 2. d. 1.*

E

2. Quia

2. Quia hic venit id quod interest, fines non fuisse turbatos. *l. 4. §. 1. fin. reg.* Hahn. *ad Wesenb. cit. tit. n. 6.* Quare eam mixtam esse recte statuimus, quamvis Jcti Batavi interque eos Vinn. *ad §. 20. d. Rer. divis.* & Wesenb. *ad ff. rit. fin. reg.* dissentiant, Illorum dubiis in discursu data occasione satisfaciendum erit.

Th. VI. Competit Dominis directis prædia confinia habentibus, qui confines etiam sunt, licet rivus privatus interveniat, non autem, si via publica vel flumen publicum. *l. 4. §. 9. & 11. l. 5. & fin. reg.* Utiliter etiam ea experiuntur Emphyteutæ, usufructuarii & Creditores, qui pignoris sunt possessores. Brunn. *ad l. 4. §. 9. cod. Wesenb. ad eund. n. 5.* modo sint confines. Schoran. *Exam. jurid. ad cit. rit.* An etiam Socii? Quod negatur. *l. 4. §. 6. ff. fin. reg.* quia coacti contra se ipsos agerent. Brunn. *d. l.* Confer. Wilsenb. *ad eund. rit. n. 5.* Non obstant *l. 27. d. S. U. P. l. 14. §. 10. Si servit. vindic. l. 6. §. 2. l. 12. §. 5. de aqu. plu. arc.* ad illas enim respondet cum alleg. Dn. Struv. *Ex. 14. th. 52.* Vice versa quoque contra eosdem omnes, quorum hætenus mentionem fecimus, datur, quia duplex est hoc iudicium *l. 10. h. s.* ad hoc, ut fines & termini constituti regantur & discernantur. Unde Procurator hic datus ad agendum & defendendum datus coactetur, adeoque; ad duplicem cautionem præstandam teneatur. *l. 15. §. 1. ff. de Procurat.*

Th. VII. Hic brevitè illustratis ad probationem finium in instituto iudicio faciendam nunc pergo, ubi bene notandum, quod in hoc iudicio uterque confinis & actoris & rei partes sustinere possit. *l. 37. §. 1. ff. d. O. & A.* Is autè, qui provocat, pro actore, provocatus pro reo habetur. *l. 13. de jud.* Nichilque; probare teneatur provocatus, modo nihil contra petat, sed saltè petita per actorem neget. Hier. *de Monte cit. Tr. c. 8. n. 5.*

Th. IIX. Antequam verò Iudex litigantes ad probationem

actum

nem admittat, primò præjudicialis quæstio de proprietate & possessione decidenda erit, per *L. 25. ff. de R. V.* scilicet quomodo termini & fines hæcenus sint observari & possessi. *l. 3. c. fin. regund.* Ad quod utrinque probationes adducendæ erunt. Justam autem possessionem probans juxta vulgarem regulam absolvendus est. Sin verò obscura utriusque jura sint, pro possessore pronunciari solet. *c. 65. de reg. jur. in VI. §. 4. Inst. de Interdict. verbis: Commodum autem &c.* Wehnb. in *Parat. ff. fin. reg. n. 7.* Probantur autem fines vel (1.) per vetera monumenta, qualia sunt fossiæ, aggeres, lapides, strues lapidum, arbores notatæ, vel (2.) per instrumenta & liberos antiquos. *l. 11. ff. fin. reg.* vel etiam (3.) per testes maxime senes. *c. 13. X. de Probat.*

Th. IX. Cum autem magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur. *§. 9. Inst. de grad. Cognat.* ut judici de certitudine horum monumentorum, fossiarum, lapidum, arborum, &c. constet, res inspicienda est. De hac oculari inspectione (quæ hodiernis **J**ctis evidentiæ facti dicitur Giph. in *Comm. de Divis. jur. axiom. 170.* Octing. *L. 2. c. 6. in not.*) notandum (1.) Quod ad eam suscipiendam **J**udex, si ipse propter alias occupationes interesse nequeat, vel ex officio, vel etiam ad petitionem partium, singulares constituat commissarios. Brunn. ad *l. 8. §. 1. fin. reg. n. 2.* addatq; peritos agrimensores *Untergänger / Laud / und Feldtschieder etc.* Wehn. *Pract. Observ. in voc. Untergänger.* Ut vero cõ clarius judici absenti res referatur, solet pro ejus informatione ichnographiâ situs & loci, ein *Abriß* / describi. Brunn. ad *l. 11. cod. n. 7.* (2.) Quod ita sit privilegiata, ut nunquã excludatur, licet aliæ probationes exclusæ sint, Mascard. *de Probat. in Proem. qu. 8.* Bérlich. *P. 1. Conclus. 47. in pr.* Brunn. ad *d. l. 8. §. 1.* Quo cõsuetu veru est, quod sententiã fin. reg. nõ transcat in rem judicatã, si per ocularem inspectionẽ aliud probari possit,

possit. Dn. Brunn. *d. l. (3.)* Quod possit repeti petentis sumtibus. Christianæ *ad Stat. Mechlin. Tit. 14. §. 2. (4.)* Quod facta inspectione oculari non statim sententia ferenda, sed Rotulus prius partibus communicandus sit, quæ desuper audiendæ sunt, ne sententia nullitate laboret. Brunn. *ad d. l. n. 9.* Admittuntur etiam ad probationem finituri testes de auditione. *l. 28. ff. de Probat. l. 9. §. 9. ff. de aqu. plu. arc. Mynsing. c. 6. Observ. 26. n. 3. Wissenb. ad ff. de fin. reg. th. 6.* Per libros quoque censuales (*Steuerbucher*) *l. 10. ff. de Probat.* probantur fines; In his enim exponuntur fundorum duo confines, *l. 4. ff. de Censib.* Item per alia instrumenta antiqua, ut jamjam dictum. Vid. Respons. Coll. Jurid. Jenens. quod est apud Dn. Richter. *P. 3. Decis. 112. n. 5.* ibi. Zur Probation aber die allbereite angeführte antiquitas und correspondens beyder documentorum gungsam &c.

Th. X. Agitur in hoc iudicio non tantum, ut finium distinctio rite fiat, & confusi rectè renoventur, *l. 4. pr. fin. reg.* Sed interesse etiam, fines non fuisse confusos, mutatos vel exaratos vindicamus. *l. 4. §. 1. ff. eod.* Quod interesse in damni in finibus sive de dolo sive de culpa lata & levi dati reparatione consistere existimamus cum Magnif. Dn. Struv. *alleg. Exerc. th. 58.* Et cum quævis utilitas percepta restituenda sit, *per l. 4. §. 1. ff. h. s.* vindicandi etiam hic erunt fructus, illi scilicet quos post litem contestatam possessor loci contraversi percepit, antea autem b. f. perceptos & consumptos lucratur possessor, non aliter ac in R. V. Brunn. *ad l. 4. cit. tit. num. 3.* exstantes tamen restituit. Dn. Struv. *d. Exerc. th. 58. Wissenb. ad h. r. num. 6.*

Th. XI. Quod si verò contingat, ut vel per universum vel pro parte lis hæc de finibus, propter dubia tam in possessione quam in proprietate probanda jura vel etiam ob aliam interuenientem incommoditatem, obscura sit, tunc iudici, non obstant-

obstante quod hæc actio b. f. non sit, utpote quæ non ex ef-
vili b. f. conventionione sed ex delicto aut facto unius aut jure
in re, ut vindicatio, cui cohæret, oritur. Wefenb. *ad h. r. fin.*
reg. num. 7. permittitur, aliis finibus evidentioribus agros
distingvere, quod fit per adjudicationem & condemnatio-
nem. *l. 2. §. 1. eod. rit. Add. pen. Instit. d. Offic. jud.*

Th. XII. Tollitur hæc actio præscriptione 30. annorum,
quod speciale quid est in hoc judicio. *l. fin. C. d. r. Sichard.*
ind. l. fin. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi pos-
sessores agrorum, postquam confines agros per 30. annos
possederint, non possint amplius hanc actionem instituire,
sed quod de mutatis terminis, postquam 30. anni à muta-
tione præterlapsedi sunt, non possint agere. Brunn. *ad l. 8. §. 1.*
fin. reg. num. 13. Dn. Struv. *d. Exerc. th. 60.* Nec quicquam
obstant *l. pen. C. fin. reg.* de qua jam in anteced. dictum. *Ad*
l. 2. §. 6. pro Em. l. 7. §. 1. eod. respondet Dn. Hahn. *ad We-*
fenb. num. 2. sub fin. quod non loquantur de præscriptione
actionis fin. reg. sed de longi temporis possessione, qua fines
acquiri possunt, accedente b. f. & iusto título.

Th. XIII. De Conditione ex *l. 4. C. fin. reg.* breviter hoc
tenendum, quod, si quis finium regundorum agens, pro-
pria autoritate post L. C. ante sententiam latam, aliquid
de fundo vicini invaserit, si justam habeat actionem, ea ca-
dat, per *l. 13. ff. Quod. met. causa.* si injustam, partem occu-
patam non tantum, sed tantundem etiam de suo restituere
debet. Ratio hæc in textu assignatur: Quo magis unusquis-
que suo contentus rem non expetat juris alicui. Atque ita
est remedium aliquod recuperandæ possessionis, magnam-
que cum *l. Si quis. 7. C. unde Vi. & l. 13. ff. quod met. caus.*
habet affinitatem. In eo tamen à *d. l. si quis 7.* differt, quod
non nisi in immobilibus horumque finibus locum habeat,
& quidè si quis invaserit rem post lit. contestatâ, ut ex *Gloss.*
hic colligunt Interpretes.

Th. XIV. Actio autem de termino moto modum coer-
cendi terminos fin, regund. causa positos malitiosè propel-
lentes vel quovis aliò modò turbantes prodit. Quod si jus
divinum respiciamus deprehendimus, quod Deus gravissi-
me advertat in eos, qui terminos movent. Hinc *Deut. cap.*
19. vers. 14. & c. 17. v. 10. dicitur: *Maledictus est qui trans-*
fert terminos proximi sui. & dicat omnis populus, Amen.
Leges vero Civiles variè puniunt hoc delictum. Caj. Julius
Cæsar, leg. Agrar. hoc delictum mitius aliquanto punivit
& ob terminos dolò malò ejectos vel loco motos 50. aure-
os in publicum dari iussit. *l. 2. pr. ff. de Term. mor.* Div. Ha-
prian. poenam magis pro conditione personæ & mente faci-
entis statuit; Splendidiore enim personæ si fuerint, quæ
convincuntur, ad tempus, siquidem seniores sint, in recisi-
us, si juveniores, in longius relegantur; Quod si verò alii
fuerint, castigantur & ad opus biennio dantur; Si deniq; per
ignorantiam aut fortuitò lapides furati sunt, sufficet eos ver-
beribus decidere, ut habetur *in d. l. 2. ff. de term. mor.*

Th. XV. Adhuc lenius puniri videntur terminorum
violatores de Jur. Saxon. quod poenâ 30. solidorum. delin-
quentes coercet. *Landr. l. 2. Art. 28.* in verbis: *Fischet er*
aber/etc. & in verbis: Hæuet er aber Holz abe/ das gesezet ist/
oder tragende Bäume/ oder bricht einem sein Obst abe/ oder
hæuet Nahlbaume abe/ oder gråbet Steine aus/ so zu Marck/
Steinen gesezet sind/ ER muß 30. Schilling zur Buße geben.
Solidus autem hic non significat aureum Ungaricum, sed
nummos sedecim. *Vid. Constit. Elect. Aug. 37. p. IV.* Ve-
rum putamus hæc poenâ illos tantum coerceri, qui per igno-
rantiam lapides vel terminos finales amoveant, juxta Car-
pov. *Jur. pr. Forens. p. IV. Const. 37. defin. 10.* Quare etiam
hodie hæc poenam in foro Saxon. non practicari, idem te-
latur, *Carpov. Prax., Crim. p. 2. Qu. 83. num. 70.* Siqui-
dem

dem hodie, qui scienter & dolose fines infestant, juxta illud jus gravius puniuntur, & propterea poenâ arbitrariâ, carceris, pecuniariâ, vel relegatione etiam imprimis si termini fuerint publici & territoriales, affici solent. Magnif. Dn. Stru. *Exerc. XLVIII. th. 110.* Quin imo fustigatione etiam, quemadmodum Lipsienses & Jenenses respondisse, testatur prælaudat Dn. Carpov. *loc. alleg. ibi:* Und es möchte dieses Fals die Verbrechen so groß seyn / als wenn einer Land-Grängen wissentlich und ärgerlicher Weise verrücket / und in dergleichen Fällen / daß der Verbrecher mit Staupenschlägen könnte gestraffet werden etc. Sic etiam Scabinos Lipsienses Mens. Nov. anno 1628. pronuncialle iterum testis est. Dn. Carpov. *d. l.* Do der Verbrecher geständig / oder wie recht / überführet würde, daß er die Gräng- Seine Gewalttamer Weise ausgraben und wegführen lassen / und keine Unwissenheit oder Entschuldigung vorwenden möchte / so würde er solchen seinen Verbrechen weger willkürlich entweder mit Verweisung auff eine Zeitlang eurer Gerichte / oder eine zimliche Geld-Buße / seinem Vermögen nach / in Straffe genommen / *B. R. W.*

Th. XVI. Secundum *Ordin. Crimin. Carol. V. Artic. 114.* is, qui dolo terminos locò movit, mutavit, effodit, aut transposuit, poenâ corporis afflictivâ coercetur: Per quam poenam corporis afflictivam, cum Dn. Hahn, ad Welenb. intelligimus Leibes Straffe / secus ac Stephani, qui ad *d. artic. 114.* per Lebens Straffe explicat, Neque *l. 1. 2. & S. fin. ff. d. Term. mor. l. 1. C. de accusat.* Stephani sententiam probant. Quin & Vigel, ad *Constit. Carol. c. 10. reg. 13.* poenam termini moti non capitalem, sed arbitrariâ h. e. carceris multa, relegationis & quandoq; fustigationis esse asserit. Videtur verò Stephani cum Welenbecio saccre, qui poenam corporis afflictivam capitalem esse statuit. Vid. Dn. Hahn.

ad Wesenb. d. pen. num. 2. ubi ambiguitatem poenæ capitalis
evoluit.

Th. XVII. Denique quæritur an judiciô finium pulsatus
infamis fiat? Resp. Distinctio adhibenda erit inter actionem
finium regund, & inter judicium de termino moto. Finium
quidem regundor, actio infamiam non importat, maxime
tamen actio de termino moto. Generaliter enim omnes pu-
blicorum judiciorum accusationes infamiam irrogant con-
demnatis. *l. 1. ff. d. his qui not. infam.* quod non solum in de-
lictis atrocioribus, sed & in aliis ac in termino moto, modo
propter dolum quis condemnatur, obtinet. Quare Oeting.
de jur. & Controv. Limit. lib. 2. c. 8. n. 27. sequentia quæ
notabilia tradit verba: *Der ist für einen schlechten Bieder-*
man zu halten / der eines andern Missethungen vorzüglich zu
verändern / und sein Gut zu verweitem / sich freventlich an-
masset. Add. *Carpz. p. III. pr. Crim. qu. 26. num. 46. & seq.*
ubi fusius monstrat, ex quibus delictis quis fiat infamis vel
non. Et hæc sunt B. L. quæ pro temporis & instituti ratione
ingenii nostri exilitas de hac materia adferre potuit, quæ ut
condidè interpreteris, officiosæ rogito. Potuissent plura
quidem, & fortasse etiam debuissent: ut de Officio Agri-
menorum, de Confinatione, & quæ alia huic materiæ affi-
nia sunt, addi; Verùm pro latiori discussione hujus mate-
riæ jungatur non inelegans Tractatus Oeting. de jur. &

Controvers. limit. Interim esto hic finium no-

strorum Finis, qui fuit principium,
Deus, cui

SOLI GLORIA.







ULB Halle
003 358 763 3


(f) Sb.

WMA







AUSPICE SUMMO NUMINE.
ET
MAGNIFICO ICTORUM ORDINE
PERMITTENTE,
IRA FINIUM

1673
1673/14^a
128 17

Die
Grantz Rechte/
PRÆSIDE
Viro Nobilissimo & Consultissimo,
N. HEINRICO Ginck/
J. U. D. & P. P.
Præceptore suo omni honoris cultu
æternum devenerando,
in
Perillustri propter Salam Academia
Publice Eruditorum Censura
submittit
Johannes Ernestus Hafe/
Neoburgico-Luneburg.
AUTOR.
In Auditorio Ictorum.

1673

J E N Æ,
Literis Samuelis Adolphi Mülleri, Anno 1677.

29

6

